



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Regia Via Crvcis**

**Haeften, Benedictus van**

**Antverpiæ, 1635**

Cap. X. Honoris cupidos Crvcem spernere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](#)

## C A P V T . X .

Honoris cupidos CRVCEM spernere.

Verbum CRVCIS pereuntibus stultitia est. 1. Corinth. 1,18.

CRVX humili sapit haud altum sapientibus,  
illam  
Ast audiē, cælum cui sapit, ille capit.



TTONITA ad hæc Staurophila, altum ingemiscebat; & ad alteram conuerta sororem, Ne, oro te Honqria, fugitiuā hanc imiteris, quæ nō tam se à CRUCE, quām à IESV, & salute elongauit æternâ. Age nunc ingenuitatem nobilitatis tuæ cogita, & generosè CRVCEM suscipe, ut in æterna tabernacula, quò illa dicit, suscipiare. At illa fastu tumens, Egóne verò, inquit, infamem stipitem, seruile supplicium, arborem fatalem, infelix illud lignum, ignobilēm trabem, nobilis virgo in humeros sus tollam? Nomen ipsum CRVCIS (ait eloquen- Cicero pro tiæ parens) ab sit non modò à corpore ciuium Rab. Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis, auribus. Harum enim opium rerum non so-

72 REGIÆ VIÆ CRVCIS  
lum euentus atque perpeſio, ſed etiam conditi-  
expeſtatio, mentio denique indigna ciue Ro-  
Minutius manorum atque homine libero eſt. Ut quid ei  
Felix in go CRVCIS lignum velut pretioſum monili  
Apologet. gestabo, quæ non nesciam, Cæciliūm CRV-  
CIS ligna feralia Octauio obieciffe?

Quid eſt quod loqueris, ſoror? aieba  
Staurophila, aut quid fruſtrâ Gentilium al-  
legas dicta? quaſi verò nescias, CRVCIS li-  
ActaS An- gnum decorem ex membris Domini ſuſcepiffi  
dreæ. nec infamis ſtipes CRVX, aut fatalis arbor  
ſed inter omnes arbor via nobilis,

Venantius Arbor decora & fulgida,  
Fortun.in Ornata Regis purpurā,  
Hym. Electa digna ſripite  
Tām sancta membra tangere.

Quid infauſtam nominas arborem, qu  
verè

Beata, cuius brachijs  
Preſium pependit ſeculi?

Seneca Infelix vocas lignum, cum Senecā & Liuio,  
Epift. 121. quod melius cum Sibyllā diceres,  
Liuius l.4. Sibylla O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit!  
apud So- & cum Ecclesiā:

zomen. Dulce lignum, dulces clauos,  
lib. 2.c. 1. Venant. Dulce pondus sustinens.

Venant. Fortun. Lignum CRVCIS contumelijs dignum vi-  
in Hym. 1. Corinth. sum eſt inimicis, ijs autem qui ſalui fiunt, id  
1.18. eſt, nobis, verbum CRVCIS Dei virtus eſt.

Quid

Quid verò nobilitatem iactas? Cùm summa  
ingenuitas ista sit (ut S. Agatha dixit) in quā  
seruitus Christi comprobatur. Sancta illa  
nobilissimis orta natalibus, ab ignobili gau-  
dens trahebatur ad carcerem, & exultans di-  
cebat: *Ancilla Christi sum, idèo me ostendo* Breuiar.  
*seruilem habere personam. Multò enim præ-* Rom. in  
*stantior est Christiana humilitas & seruitus,* eius Festo.  
*Regum opibus ac superbiâ. Et verò tu nunc vi-*  
deris cui seruias, Christo an dæmoni, virtuti  
an peccato. *Qui enim facit peccatum, seruus* Ioan. 8, 34.  
*est peccati. Et quis est qui non peccet?* In Iac. 3, 2.  
*multis sanè offendimus omnes.* Proinde vel  
hoc nomine CRVCEM refugere non oporte-  
ret. Nam fugitiui olim ferui, aut alias flagi-  
tiosi, si commeritum supplicium illis con-  
donaretur, in signum ignominiae CRVCEM  
vestibus insertam aut depictam deferebant,  
ynde Cruciferi aut Cruciarij dicebantur.

Ita Daniel  
Malonius  
in Hist. de  
Christi  
stigmatibus Sindoni  
impres-  
sis c. 4. n. 5.

Cur ergo tu, quæ æternam non temel com-  
merita es CRVCEM, non feras temporariam,  
si illa pro hac tibi condonetur?

Tu quidem Staurophila, inquietabat Hono-  
ria, importuna concionatrix es: sed mihi nō  
persuaseris. Tu, ut lubuerit, & Crucifera, &  
Cruciaria, & discipula CRVCIS esto; ego  
hanc infamiam numquam admisero. Dixit  
hæc, & petulantissimè simul infiliit in sub-  
iectam CRVCEM, probris illam & conuitiis

E 5 exci-

74 REGIÆ VIÆ CRVCIS  
excipiens & quod maximè indignum, etiam  
conspicuit.

At Christus immemor iniuriæ, memo-  
Leo Ser. 2. clementiæ, utramque sic affatus est: Si magna  
de Resurr.

pietatis sacramentum intelligitis, & quod pro  
salute humani generis ego unigenitus Dei Fi-  
lius gessi, aduertitis, hoc, quælo sentite in vo-  
bis, quod & in me Christo Iesu, cuius humili-  
tas nulli aspernanda diuitum, nulli est erube-  
scenda nobilium. Nec enim in tantum prouehi  
potest quælibet felicitas humana fastigium, vi-  
festimet sibi pudendum, quod ego manens in  
formâ Dei Deus, non sum arbitratus indignus.  
Et quid gloriaris de nobilitate, cum ego sim

Rex Regum, & Dominus dominantium; qui  
tamen CRUCEM idcirco elegi, ut in eâ tota  
diabolice dominationis contereretur aduersi-  
tas, & de elatione superbiæ victrix humilitas  
triumpharet. Subieci humeros CRVCI, &  
coram toto mundo eam baiulaui, ut sequen-  
tibus me præberem exemplum. Quid enim?

August. Grande profectò hoc fuit spectaculum! sed si  
Tract. 117. spectet impietas, grande ignominiae documen-  
in Ioan. tum; si pietas, grande fidei munimentum.  
Rursum, si spectet impietas, videt Regem pro  
virgâ regni, lignum sui portare supplicij: si  
pietas, videt Regem baiulantem lignum ad se-  
met ipsum figendum, quod fixurus fuerat in  
frontibus Regum; in eo sternendus oculis im-  
piorum,

piorum, in quo erant gloriatura corona sanctorum. Cui ergo deinceps intolerabilis videbitur CRVX, quam Rex gloriae non duxit sibi ingloriam? an non prorsus intolerabilis impudentia est, ut vbi fese exinanivit maiestas, vermiculus infestetur & intumeat?

Audiebant hæc quidem ambæ, dispari tamen euentu: Honoria enim his sermonibus exasperata, cum indignatione recessit; Staurophila verò intimè compuncta, nihil praetexere sciebat præter humanam infirmitatem, & apparens dèdecus. Et quis, inquit, est Domine, qui illustri loco natus ludibrio se haberi patiatur? Quid? inquiebat Christus, an non audisti, ut Dáuid ob pietatis cultum à Michol irrisus fecerit? & quid dixit ille?

*Ludam, inquit, & vilior siam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Bonus hic,  
Bernard.  
*Ô filia, ludus, quo Michol irascitur, & Deus delectatur.* Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Bonus, inquam, ludus, quo efficiuntur serui mei opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Nam reuerà quid aliud secularibus, quam ludere videntur, cùm, quod ipsi appetunt in hoc seculo, illi contrà fugiunt; & quod ipsi fugiunt, illi appetunt?

Pulchrum hoc exemplum, inquiebat Staurophila, sed antiquum; & hodie plures inuenias,

uenias, qui Michol ad viuum repræsentem  
quàm qui Dauidem. Iea est, aiebat Christus, sed non defuerunt posterioribus etiam  
sæculis illustres pérsonæ, contémptus sui

Ealred. in  
Vitâ sancti  
Eduardi.

lustrissima exhibentes testimonia: accip-  
vnum in Rege mirandum, & imitandum  
Cùm in palatio iuxta Ecclesiam B. Petri An-  
glorum Rex Eduardus aliquando morare-  
tur, superuenit quidam vir, Hibernicus ge-  
nere, pedis utriusque priuatus officio. Neu-  
enim in poplite contracti, ad posteriores co-  
poris partes crura retosierant, tali natibu-  
inhæserant, immersique carnibus pedum ar-  
ticuli, à lumbis eius & deorsum corpus om-  
ne peruerterant: porrectis ad terram man-  
bus, & scāmnis suppositis repebat, & factu-  
sibimetipsi grauis, trahebat se post sc. Hi-  
videns Regis cubicularium, ait ad eum: Hu-  
goline, non me respicies, nec misereberis,  
nec mouebit te mea tanta calamitas? Et ille  
Quid me vis facere? Cui pauper, Sexies, in-  
quit, Apostolorum limina repens (ut cernis)  
visitaui, & sanitatem necedum promerui.  
Quam tamen mihi Apostolorum Princeps  
non negauit, sed distulit, socium in hoc mi-  
raculo habere volens Eduardum, quem sibi  
nouit in omnibus esse deuotum. Ab ipso  
enim Apostolo in mandatis accepi, Regem  
adire, vt me suo sacro subiectum dorso ad

Ec.

Ecclesiam eius, quæ palatio vicina est, perferat, recepturum, si id fecerit, membrorum integrum sanitatem. Hæc ubi nuntiata sunt Regi, gratias agit Deo, & citatus mox æger accessit. Rex verò, ut spiritualis ille *asinus fortis, accubans inter terminos, supposuit humerum suum ad portandum.* Pendet de humero tanti Principis plenus sordibus pauper, squamis manibus, brachijsque squamosis Regium illud pectus collumque complectitur. Interea ex assidentibus ridebant nonnulli, alij à paupere Regem delatum iocabantur; alij simplicitatem iusti, fatuitatem iudicabant. Cùm itaque Rex paululum processisset, subito nerui extenuuntur, rigantur ossa, carnes marcidæ recalescant, emergunt à carne articuli, pedes à natibus soluuntur. Distendit homo crura, poplite iam flexibili, & sanie cum sanguine profluente, vestis Regia ornatur potius, quam fœdatur. Iam tunc satis esse clamant omnes, sanatum languidum, onus ac sordes ulcerum deponendum. Ille verò memor præcepti quod iusceperat, Sitenarum cantus obtutatâ aure pertransiit: ingressusque Ecclesiam, ante sanctum altare holocaustum, quod detulerat, Deo ac beato Petro resignat, incolumemque dimisit. Quid tibi videtur, Staurophila, de hoc Rege?

Lau-

Laudo inquietabat illa, humilitatem & demissionis trudum, scio tamen quod sacerdotes homines iam stultitiam & insaniam reputarent. Cui Christus? Ita esse, & Apostolu-

**I. Corinth.** meus indicauit: *Verbum enim CRVCIS per-*

**v. 18.** *euntibus stultitia est. Sed quod stultum est Dei,*

*sapientius est hominibus; & ideo non multi si-*

*pientes secundum carnem, non multi potentes,*

*non multi nobiles ad prædicandum CRV-*

*CIS mysterium electi sunt; sed quæ stulta sum*

*mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; &*

*ignobilia mundi, & contemptibilia elegit*

*Deus, ut confundat fortia. Noli igitur, Sta-*

*rophila, noli ob mundanorum subsannatio-*

*nones baiulationem detrectare CRVCIS: ma-*

*xima enim sapientia est, pro Deo stultum*

**I. Corinth.** velle reputari, & cum Apostolo dicere: *Nos*

**v. 9.** *4.9. stulti propter Christum. & Spectaculum facti*

**Ibid. v. 10.** *\*Ambr. in sumus Deo, & Angelis, & hominibus. \*Nolunt*

**Psal. 118.** *Epist. 30. Moyses Rex esse, cum posset, sed opprobrium*

**ad Sabin.** *Christi thesauris Aegypti arbitratus est prefe-*

*rendum: sed fugiendo potentiam, potentior*

*factus est. Et tu contemne quæ sacerduli sunt, &*

*Dominice passionis Opprobrium contendere om-*

*nibus preferre diuitijs. Irrideant nunc viri*

*illusores Staurophoros meos, quos Gentiles*

*CRVCIS religiosos appellare soliti sunt: erit*

*aliquando tempus, cum sapientem hanc ve-*

*stram laudabunt insipientiam, & sero nimis*

dam-

**Tertul. in  
Apolog.**

**c. 16.**

damnabunt suam. Cùm enim in extremo  
iudicij die impij videbunt iustorum gloriam,  
turbabuntur timore horribili, & mirabuntur Sap. 5,2.  
in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra  
se, pœnitentiam agentes, & præ angustiâ spiri  
tus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquan  
do in derisum, & in similitudinem improperij.  
Nos insensati vitam illorum aestimabamus in  
saniam, & finem illorum fine honore; ecce  
quomodo computati sunt inter filios Dei, &  
inter sanctos sors illorum est.



CA-

Multa flagella peccatorum. *Psal. 31,10.*



*Spreuerunt minimam, grauiorem adiguntur inique  
Quo magis exhorrent, hoc mage ferre CRVCEM*